



**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Argvmentvm Totivs Operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](#)

ARGUMENTVM TO- TIVS OPERIS.

AMEDIATORE DEI & hominum Domino nostro IESV CHRISTO duplex erectum est tribunal: unum iustitiae pro futura vita scuerum, cui peccator susteretur ad punitionem: alterum misericordiae pro vita praesenti, cui peccator susteretur ad emendationem. Illud est quo ad Roma. decimoquarto D. Paulus inquit, Omnes stabimus ante tribunal Christi: & in posteriori ad Corinth. capite quinto, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, siue bonum, siue malum. *¶* Illud vero est sacramentum Pœnitentie, quod Concilium Trident. sess. 14. cap. 2. ait, ab eodem Domino nostro institutum esse in forma iudicij, pro ijs quos lauacrum baptisimi, sui corporis membra semel effecit: his enim, ut ibi additur, se postea crimen aliquo contaminauerint, non iam repetito baptismo ablui (cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat) sed ante hoc tribunal, tanquam nos sibi voluit: & per Sacerdotum sententiam, non semel: sed quoties ab admissione peccatis, ad ipsum pœnitentes consugerint, possent liberari. Ex quibus Concilij verbis, sicut intelligitur summa Sacerdotum dignitas & auctoritas in negotio tanti momenti, quanti est absolutio hominis a suis peccatis: ita & summa eorumdem obligatio applicandi serio animum, ad comparanda sibi ea, sine quibus illud replegere non potest. Quia in re ut ipsis aliquatenus in servire, voluntate eorum quibus vita mea rationes commisi, diuinoque fretus auxilio, pro ingenii meis tenuitate Institutiones (quantum potui ad rudiorum etiam captum accommodate) digesti tripartitas, pro triplici genere attinentium ad iudiciale forum: personarum, inquam, actionum, & rerum: ita ut prima pars complectatur spectantia ad personas fori pœnitentialis, tanquam eas ex quibus dependet sacramenti Pœnitentie usus. Sunt autem Confessarius, tanquam Iudex legitimus in illo foro: & peccator pœnitens, tanquam reus simul & testis; adeoque Aduocatus accusator sui, tanquam is, qui a se offensum Dei causam agat contra semetipsum. Secunda vero pars continet spectantia ad actiones, in quibus idem usus consistit, que sunt, Quoad pœnitentem quidem, contritus cordis, confessio oris, & satisfactio operis. Quoad Confessarium vero, absolutio Sacramentalis. Illæque sacramenti Pœnitentie materiam constituant: & hæc formam. Tertia demum pars (in tres ob prolixitatem secunda) sit de rebus, circa quas idem usus versatur. Ex autem sunt peccata pœnitentis post Baptismum commissa: utpote de quibus in usu sacramenti Pœnitentie conteritur, confiteretur pœnitens, & pro quibus satisfacit, ac denique a quibus Confessarius ipsum absolvit. Ceterum in citandis Auctoribus non ero multis; imo interdum cum plures commemorandi occurrent, contentus ero indicare aliquem ex recentioribus, a quo referuntur: quoniam ad proxim' nobis propositam id sufficere potest: sicut & paucis tantum delibare, ea quæ à Theologis Scholasticis aduersus hereticos, aut ad doctrinæ eminentiam, copiose disputantur. Concedat Christus, intercedente Beataissima Matre, ut qualiscumque iste meus labor, cedat ad ipsius maiorem gloriam, & Ecclesia sanctæ edificationem: sicut me imprimis habere, in votis misericorditer largiri dignatus est.

INDEX